

Ponitur in cartis, ne quem numeratio partis
 Liberet a solido: ligat omnes ceca cupido.
 Non intellecta fatuus suffragia iuris
 Lingua lectoris accelerante sinit.

- 875 Quis mercatorum posset figmenta malorum,
 Fraudum mille modos, latitantes promere nodos?
 Fallunt fallentes, falluntur decipientes
 Ponderibus, numeris: miscent mendatia veris.
 Est melius falli quam fallere, set studiose
- 880 Mens circumspecta¹ vitat utrumque malum.
 Nullius est laudis pollutus crimine fraudis:
 Contra fas plenam qui querit habere crumenam,
 Decidet in penam, regionem perdet amenam.
 Pro lucro modico vetito deus equus iniquo
- 885 Equa flagella parat, quem sepe monendo vocarat.
 Quid nunc ditari², populari laude beari,
 Hic sublimari valet et semper cruciari?

S. 32: I n v e c t i o c o n t r a l u s o r e s .

- Vitandum ludum docuit sapientia dudum:
 Ludus enim diras homines invitat ad iras,
 890 Fallit et incendit, pro quo lusor sua vendit.
 Pro ludi scelere plures homines periere;
 Sunt facti fures pro ludi turbine plures:
 Ludi iactura ludentum pectora pura
 Efficit impura, quibus est seducere cura.
- 895 Ludus egestatem³ parat et parit anxietatem,
 Ledit honestatem, premit impietas pietatem.
 Lusor lucra volens merito perdit sua nolens;
 Suffert damna prius, qui res male gestit alius:
 Credens lucrari propriis solet evacuari.
- 900 Lusor inardescit perdens, aliena capescit;
 Damnum procurat, irascitur et male iurat:
 Lusor delusus animam, res, corpus in usus
 Prodigit illicitos renuens audire peritos:
 Insiapiens, sapiente putans sapientior esse,
- 905 Docti docma viri mente furente fugit.
 Lusor pro ludo mendicat corpore nudo,
 Carcere quem crudo tenet anxia sollicitudo.
 Amittit numerum lusor ludendo dierum:
 Tempora non iterum redeunt, ut copia rerum.

1) So die Hs. 2) 'dictari' Hs., c auspunktiert. 3) Aus 'egen-
 tatem' korr.